



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Puritas animi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Quæ vero Gallina apud veteres Æsculapio est immolari solita, salubritatis indicium erat: propterea quod id sacrificii genus ideo ferunt institutum, quod harum caro levissimæ sit digestio- nis, ac perinde languentibus commoda. Hujus rei locupletissimum testimonium, apud Angelum Colotiumprehendimus: magnam quippe pedum gallinaceorum copiam proximis diebus defos- sam juxta cippum, in quo Romæ Æsculapii statua erat, loco qui hodie Vivarium appellatur: quis enim tanto numero pedes ejusmodi eo congestisset, nisi sacrificiorum reliquias ibidem relinquere mos fuisset?

SECURITAS. CAP. XVI.

A Tqui, veluti per Lauri surculum in ore Columbæ, & per Platani folium in Ciconiæ nido securi- tatem significari prodidimus, cur non etiam per gallinam, ad alam cujus Rutæ ramusculus ap- plicatus sit, securitatem eodem modo pingi, hieroglyphicumque sapere fateamur? siquidem, Africa- nus in iis, quæ de agraria Constantinus Cæsar colligi mandavit, ait, gallinas à seletutas fore, si Rutæ sylvestris ramusculus sub ejus alam applicetur. Quin Democritus etiam tradit, eo præsidio munitas: neque à Vulpibus, neque ab infesto quopiam alio animali contingi.

*Ruta in gal-
linis securi-
tatis symbo-
lum.*

DE GALLO. CAP. XVII.

Gallinæ galli significata quædam dissimulare nostræ fuerit vetecundia: utpote, quæ vix salvo verborum pudore scribi queant. Id tantum dicamus, gallum alitem, ejusdem nominis gen- tem interpretari. Scimus gallinaceum aliquando gentem ipsam Gallicam prodigio Vitellii demon- strasse, cui Viennæ pro tribunali jura reddenti, gallinaceus supra humerum, ac deinde capiti supera- stitit, quod ipsum venturum in alicujus Gallicani hominis potestatem portendit, ut Tranquillus etiam interpretatur. Is mos ab Antonio, primo aduversariarum partium duce, oppressus est, cui To- losæ nato, cognomen in pueritia Becco fuit: ea vero voce gallinæ, rostrum & olim appellabant, & nunc uniuscujusque alitis nuncupant: quam locutionem à Phrygiis, omnium antiquissimis ema- nasse alibi diximus, quod illi cibum Bec dicunt vocabulo genuino. Et orto Galliarum aduersus Ne- ronem tumultu, Romæ passim columnis adscriptum est, GALLI TE CANTANDO EXCITARUNT: apte scilicet, ad ejusdem nominis gentem nuncupatione deflexa.

*Sueton. in
Vitellio. c. 9.*
*Herodotus
lib. 2.*
*Sueton. in
Neron. c. 45.*

TIB. IMP. NEQUITIA.

Qantum vero ad alitis petulantiam pertinet, crediderim lego pullum illum gallinaceum, qui exclusus est in manu Livie, Tiberium adhuc in utero gestantis, cum ipsa exploratu- ra an esset marem paritura, ovum incubanti galinæ subduxisset, idque nunc sua, nunc ministrarum manu adeo usque fovisset, ut pullus excluderetur: non tam sexum in Tiberio portendisse, quam salacitatem & procacitatem eam qua ille mox famosissimus fuit.



PURITAS ANIMI.
CAP. XVIII.

Sed quando sanctius fuerit hieroglyphica illa referre, per quæ animi divinitatem ex galli simula- chro apud veteres intelligi solitam, comprobemus? Pythagoræ præceptum est gallum nutrire: quod nihil aliud sibi vult, nisi ut divinam animi nostri partem, divinarum rerum cognitione, quasi cibo solido & cœlesti propemodum ambrosia pascamus. Quare Socrates moriens cum animi sui di- vinitatem, majoris mundi divinitati speraret se copulaturum, Gallum Æsculapio, id est, animorum Medico, jam extra omne morbi discrimen positus, debere se, dixit: cum enim de corpore migrandum intelligeret, convaluisse prorsus, arbitrabatur. Ut vero interpretantur alii, ea de causa dictum hoc à Socrate, quod lethali eo sumpto pharmaco, sanitatis beneficium jam sentiret, cum exiret à corpore, quo

*Præsertim
candidum,
à quo etiam
abstinen-
dum, quod
Mens sacer
& horarum
nuncius.
D. Laertius
in Socrate.*

quo omnes animi morbi scaterè pullulareque sentiuntur, Laetantius Firmianus, Septimius Florentinus Apologetico, neque non illi omnes, qui cum Aristotele Platonis verba, non sensa, cavillis incessant, hoc dissimularunt, in quo summa sapientiae veritas delitescerebat. Sed ut animi Medicum cum his dissimulemus: non desunt Platonis interpretes, qui Galli hujusmodi sacrificium eo trahunt, ut animas in caelum migrantes Phœbo pœana, canere comminiscantur.

APOLLO. CAP. XIX.

*Gallicinii proprii-
et.*

*Atque etiam
à Pausania
in prioribus
Eliaci.*

Inter ea, quae Apollini dicata sunt, quippe Arietem, Crocodilum, Scarabeum, Accipitrem, Lynxem, Gallus etiam à Chæremone Stoico, & à Porphyrio recensetur. Infitum autem est Gallis, inquit Proclus, numen Apollinis advocare, & veluti propriis canticis asurgenti applaudere: deat lib. de Divinatione ait Cicero, animal hoc admodum canorum est sponte sua, nos vero sacris hymnis canimus gallicinio Luciferum venturæ lucis prænuncium excitari, obductum caligine coelum aperiri, dari copiam ut patefacta jam via errores ambagesque omnes declinemus, canente Gallo, valetudinariis aliquam salutis, aut salutem allevationis spem affulgere, metuciosos trepidatione liberari, & multa, quæ per insidias parabantur dissipari: quæ omnia advenientis lucis beneficia sunt. Neque vero Soli tantum, verum etiam Luna dicatum esse Pythagoras aiebat. Pausanias, ubi statuas eorum, qui cum Hectore singulari certamine congrredi, conjectis in urnam fortibus, minime recussissent, ab eo provocati, ab Achivis in Olympia dicatas ait, Idomeni clypeum Gallo gallinaceo insignitum fuisse tradit; propterea quod is à Minoe & Palsphae duceret originem, quæ Solis filia fuerit, cui Gallum dedicari constat: quia ortum ejus præsentiat, cantu indicet mortalibus.

EXCUBIÆ. CAP. XX.

Lib. 4.

Quia vero Gallus à prima mediæ noctis inclinatione solet ex-
plaudentibus, ut Lucretius ait, alis

Aurorum clam consuetus voce vocare,

matutino crepusculo, matutinis astris Deum itidem laudantibus quotidie commodulatur, excubiarum & vigiliarum signum apud antiquos fuit: eaque de causa Mercurio dicatus ferebatur. Ac ut nostra quoque attingamus, eo multo ante lucem canente aberrans respicit Petrus, & ut Ambrosius ait, expergefactus facti culpam incessit sui, amaroque fletu crimen rebellionis expurgat, ne mirum adeo sit, quod datam aliti huic intelligentiam apud Jobem legimus.

*Tempus res-
piscencia
D. Petri, à
Matth. c.
26.
Capit. 38.
v. 36.*



PROPHETÆ DOCTORESVE. CAP. XXI.

*Rom. 14.
De Gloria
munus.*

Sunt qui super hoc Jobis dicto intelligi velint Prophetas, & sacra disciplina Doctores hieroglyphice per Gallum accipi: propterea quod illi inter vitæ præsentis tenebras, venturam lucem quasi cantando prænunciarunt: unde illud in eorum ore frequentius, *Nox præcessit, dies autem appropinquat.* Est & illud congruum Doctoris munus, ut quibus, quid, quando, & quomodo sit quicquam indicandum, inferendumque animis, debeat velut divinitus cognovisse: non enim inquit Eusebius, una eademque cunctis exhortatio convenit: quia nec cunctos par morum qualitas devincit atque constringit. Itaque Gallus certa per intervalla modo hos, modo illos excitat, & antelucanum tempus discrimine veluti quodam dipartitur.

PUGNACITAS. CAP. XXII.

*Pausan. in
prioribus
Eliaci,
Vel quod
præsentia fu-
turi tem-
poris.*

IN Eleorum arce, Pallados simulacrum ex auro & ebore, Phidias opus, erat cum Gallo in galea surrecto: quod pugnacitatis hieroglyphium esse Pausanias arbitratur, cum tamen non inficeret Gallum Minervæ, cognomento Operatrici, sacrum esse. Sane Sybaritæ, gens ad omnes molliumque numeros nata, Gallum in urbe esse prohibuerunt, ne nocturni somni quidem interpelleret. Idemque & fabriles omnes artes ablegaverant, ut memoriæ prodidit Athenæus, ne quid esset, quod vo-
luptates